

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES**

University of Toronto

*Level Two Medieval Latin Examination*

**11 September 2020**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

\*\*\*\*\*

**1. The heavenly Father finds a salve to save weak and foolish humans, so that He might heal their wounds**

Nicholaus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Immensa et innumerabilia sunt divine misericordie munera, que noster magis attenuare quam explicare sufficit sermo, quibus in salute humani generis Dei Patris et Domini nostri Jhesu Christi ineffabilis clementia operata est et semper operatur, quod vivificando humano generi et ab eterna morte liberando eternus Pater coeternum sibi Filium misit, quod Dei Filius, ut homines Dei filios faceret, esse hominis filius voluit, quod humiliavit se, ut jacentes erigeret, quod servile corpus induit, ut in libertatem servituti subditos vendicaret, quia vulnerari se passus est, ut vulnera nostra curaret, quod mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. Mira sunt hec, sed qualis et quanta est divina clementia, que redempto homini salutari vocatione prospexit, ut, si post baptismi salutaris regenerationem pro fragilitate et imbecillitate sua homo nova pacta contraheret, salutaria remedia curandis sanandisque vulneribus inveniret. Laudent ergo Dominum juxta Davidicam vocem omnes gentes et collaudent eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus.

## **2. Peripatetic Petrarch potters about pondering philosophy**

Deambulabamus Rome soli. Meum quidem obambulandi perypateticum morem nosti. Placet; nature moribusque meis aptissimus est; ex opinionibus quedam placent, alie autem minime; non etenim sectas amo, sed verum. Itaque nunc perypateticus, nunc stoicus sum, interdum achademicus; sepe autem nichil horum, quotiens quicquam occurrit apud eos, quod vere ac beatifice fidei adversum suspectumve sit. Ita enim philosophorum sectas amare et approbare permittimur, si a veritate non abhorrent, si nos a nostro principali proposito non avertunt; quod ubi forte tentaverint, seu ille sit Plato seu Aristotiles seu Varro seu Cicero, libera contumacia contemnatur omnes atque calcentur. Nulla disputationum argutia, nulla verborum lenitas, nulla nominum nos tangat autoritas: homines fuerunt, quantum humana inquisitione fieri potuit et notitia rerum docti et eloquio clari et naturali ingenio felices, sed supremi et ineffabilis obiecti privatione miserabiles et, ut qui viribus suis fiderent veramque lucem non requirerent, cecorum in morem sepe lapsi, sepe ad lapidem offendentes.

## **3. Liutprand the ‘babbler’ reports on the Greeks getting grumpy about a letter lacking respect**

Verum ut augerentur calamitates meae, in assumptione sanctae Dei genitricis et virginis Mariae meo omne non bono venerunt domni apostolici et universalis papae Iohannis nuntii cum litteris, quibus rogarunt Nicephorum imperatorem Grecorum, ut parentelam firmamque amicitiam faceret cum dilecto spiritualique filio suo Ottone Romanorum imperatore augusto. Quae vox, quae inscriptio secundum Grecos peccatrix et temeraria quomodo latorem non occiderit, cur, priusquam legeretur, non oppresserit, qui in aliis rebus saepe videor spermologus et multisonus, in hac ut piscis videor insonus. Obiurgabant Greci mare, imprecabantur aequori plus iusto mirantes, cur peccatum illud portare potuerit, cur fretum dehiscens navim non absorbuerit. ‘Imperatorem’, inquiunt, ‘universalem Romanorum, augustum, magnum, solum Nicephorum scripsisse Grecorum, hominem quandam barbarum, pauperem Romanorum non piguit! O caelum! o terra! o mare! Sed quid’, inquiunt, ‘faciemus hominibus istis sceleratis, criminosis? Pauperes sunt, et si eos occidimus, manus nostras sanguine vili polluimus; pannosi sunt, servi sunt, rustici sunt; si eos flagellamus, non ipsos, sed nos dedecoramus.’

**4. After Hastings, William wants Harold's body buried by the water**

Heraldi corpus collegit dilaceratum,  
Collectum texit sindone purpurea;  
Detulit et secum, repetens sua castra marina,  
Expleat ut solitas funeris exequias.  
Heraldi mater, nimio constricta dolore,  
Misit ad usque ducem, postulat et precibus,  
Orbate misere natis tribus, et uiduate,  
Pro tribus, unius reddat ut ossa sibi,  
Si placet aut corpus puro preponderet auro.  
Set dux iratus prorsus utrumque negat,  
Iurans quod pocius presentis littora portus  
Illi committet, aggere sub lapidum.  
Ergo uelut fuerat testatus, rupis in alto  
Precepit claudi uertice corpus humi.  
Extimpo quidam, partim Normannus et Anglus,  
Compater Heraldi, iussa libenter agit.  
Corpus enim regis cito sustulit et sepeliuit;  
Imponens lapidem, scripsit et in titulo:  
'Per mandata ducis rex hic Heralde quiescis,  
Vt custos maneas littoris et pelagi.'